

DISSERTATIO HISTORICO-
PHILOLOGICA,

De

ORIGINE, VITA,
ATQVE SCRIPTIS

DON ISAACI
ABRABANIELIS,

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM,

In

CELEBERRIMA NORICORVM ACADEMIA

ORDINIS, BENEVOLO INDVLTV,

PRAESIDE

M. IOANNE HENRICO

MAIO, Fil.

AUCTOR RESPONSVRVS

CHRISTIANVS FRIEDERICVS

Bischoff/

Barutho - Francus,

Publico Eruditorum Examini

oll. diss. A 2, 53
Ipsis Kalend. Mart. subjiciet, A. C. MDCCVIII.

ALTDORFI

Literis JODOCI WILHELMI KOHLESH Vniuers. Typogr.

43.

a. LXXII. 53.

V I R O
P E R - I L L V S T R I A T Q V E E X C E L -
L E N T I S S I M O ,
D O M I N O
I O A N N I A C H A T I O
Bischoff/
S E R E N I S S I M I B R A N D E N -
B V R G O - C V L E M B A C E N S I S
P R I N C I P I S C O N S I L I A R I O C A -
M E R A L I S P L E N D I D I S S I M O ,
D O M I N O P A R E N T I S V O , D E V O T A A N I M I
P I E T A T E , S V B M I S S O C V L T V , A L A C R I Q V E
O B S E Q V I O , P E R P E T V O P R O -
S E Q V E N D O .



VENERANDE DOMINE PARENS!

DRima haec est disputatio , quam TVIS mandatis obsequens , conscribo , & quam proinde , ut frugifilium decet , obedientiam testaturus , Excellentissimo Nomini TVO sacram esse jubeo. Et quidem lubens id facio , nullâ compulsus necessitate , nullâ adductus vi , quae ab obsequio omni , si genuinum censeretur debet , removenda est ; nisi ex veterum sermone & hos obsequentes dicere velimus , qui invitati aliquid suscipiunt ; quo sane nomine gladiatores illi appellati fuerunt , quos Marcus Imperator (a) per necessitatem armaverat. Aliam omninò mihi mentem , alium animum , alias denique dedicatio-

A 2

nis

(a) Vid. *Joh. Schefferus* praefat. ad *Julium Obsequentem* de prodigiis.

nis hujus causas esse, TE Parens Optime, non ignorare persuasum habeo. Scilicet obversabantur oculis innumera beneficia ab ineunte aetate ad hoc usque tempus mihi, quandoque non merenti, exhibita; infixa cordi haesit voxilla, quam (a) ex parente meo, et ex aliis sanctis Viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriae quam divitiarum esse; nec veris odoribus frui aliquem posse.

(b) Si fronti caveat, si timeat rubos.
Armat spina rosas.

Contemplabar item gloriam à majoribus partam, quam si non augere, pie tamen conservare officii laudisque non ultimam partem esse duxi, quum sit.

(c) Δεινὸς χαρακτήρ καὶ πίσμη ἐν βροτοῖς,
Ἐθλῶν γενέαζ. Καπὶ μείζον ἔρχεται,
Τῆς εὐγενείας τῆνομα τοῖσιν ἀξίοις.

Atque hinc quidem factum est, Venerande Domine Parens, ut neglecto pristinae vitae genere studiis animum consecraverim meum, tanto quidem cum successu, ut nunc me non (d) Pudeat, aliquid ad communem fructum adferre, aut in adspectum lucemque proferre. Hosce itaque laboris ingenique fructus

- (a) Marius ap. Sallustium B. J. cap. LXXXV.
(b) Claudianus in nuptiis Honor.
(c) Euripides in Hecuba. v. 370. ff.
(d) Cicero pro Archia Poeta Cap. VI.

fructus TIBI parens Summe , devota animi cum
significatione publica , obsequiique , quod filio in-
cumbit probo , indicio , porrigo , enixe rogans ,
praesentes ut paginas accipere non dedigneris , te-
stimonio futuros mentis piae atque obsequentis.
Ego perfectò eo omnem collocabo industriam , ut
tanquam (a) δόικε λαμπρῆ διαδοχῇ , ἔρεισμα γένεσ , πατρίδ^Θ
ἐλπὶς , γονέων ἐυσεβῶν βλάβημα , ὑπόμνησίαν εὐχαΐς ἐντραφέν ,
spem , quam de me concepisti , nullâ ratione fallam ,
sed potius illustriorem splendidiorumque reddam.
Ceterum , liceat mihi ultimam hanc , sed vere
omnium primam maximam petitionem adjicere ,
velis eo favere , quem singularem adhuc expertus
sum , ulterius benignè prosequi

Filium

longè obsequentem

*Dabam Altdorff d. 1. Mart.
Anno MDCCVIII.*

CHRISTIANUM FRIEDERICUM
Bischoff.
Phil. & SS. Theol. Stud.

(a) *Basiliius Magnus Orat. Moral. XI. pag. 298.*

A 3

PRAE-



PRAELOQUIUM.



Agnos semper & praeclaros Hebraea in
 gente de vinarum litterarum interpretes
 extitisse; mecum fatebuntur omnes, qui
 vel eos ipsos propria, qua scripsere in lin-
 qua, legerunt, vel levi duxerat historiae
 litterariae cognitione gaudent. Quos universos in prae-
 sentia recensere, instituti ratio haud permittit, eademque
 ab aliis jamdudum occupata provincia est. Illud saltem
 monendum venit, optimos Sacri Codicis interpretes, Hi-
 spanienses, si Karrantas (: de quibus sermo nobis nunc
 non est :) exceperis, Judaeos esse, non prorsus iudice P:
 Richardo Simonio *Hist. Crit: V. T. III. 2. pag. 360. edit:*
Gallic: negligendos aut spernendos, quoniam ut plurimum
sensui litterali in haereant, quem quidem vehementer de-
fendit Noster ad Hos: fol: 225. 4. laudatus proinde à
Dno: Frischmutho in disp. de vili & abjecto XXX.
argenteorum pretio quo à Judaeis Messias aestimatus est,
habita Jenae M DCLXXII. Capit: III. §. 5. Horum in-
numerum si Don Isaacum Abrabanielem, Iudaeum & pro-
sapia, ceu gloriabatur ipse, regia oriundum, doctrinae non in-
solis majorum placitis subsistentis, sed ad profanam, quam
vocant eruditionem, Patrum, Christianorumque scripto-
rum lectionem divergentis, copia illustrem retulero: mi-
nime in veritatem injurium me fore persumsum habeo. Ob-
servasse profecto is mihi videtur, quae facundissimus
 Basi-

Basilii *M: Orat. XI. Moral. p: m. 312. Edit: Fran-*
cof. 1598. verè pronunciat: Πάντοτε μὲν γὰρ χερίσιμον τὸ τῶν
γραφῶν διδασκαλεῖον, μάλιστα δὲ ἐπὶ τῶν τοιούτων καμρῶν. Nam
Et vitae maximam partem conscribendis in scripturam
explanationibus consecrauit, quibus quo eruditionis ap-
paratu, qua ingenii sagacitate, quo eloquentiae flumine
instructus, ad hoc obeundum munus accesserit, satis abun-
deque legentibus, non sine quadam admiratione ostendit.
Quam ob rem mihi publicum studiorum specimen evulgare
gestiendi; nullum magis opportunum occurrebat, quam
clarissimi inter Judaeos interpretis, Abrabanielis puta,
originem, vitam, scriptaque persequi: inprimis quia post
auctorem praefat: in Maine hajeschuah, quem secuti
mibi videntur Actorum Eruditorum Collectores ad ann:
M DCLXXXVI. pag. 527. Et seq: qui tamen spicile-
gium quodam reliquerunt, neminem adhuc circa hanc
materiam occupatum, inspicere aut cognoscere mihi li-
cuit. Te vero, Summe Deus, supplex veneror, velis
vires benigniter concedere homini ad hoc quaecunque
perficiendum opus inepto, qui non absque Tuo praesidio
praesentem operam aggreditur, Et qui divinam suam ma-
jestatem pie semper colit, memor illius, quod à R: JS.
Sangaro in Cosri P. III. §. XII. pag. 169. probè elegan-
terquè monitum est. דע מה למעלה ממך עין רואה
: i. e. Scias, quid supra te sit, oculus scilicet videns, auris audiens,
omnia denique facta tua libro inscripta esse. Lecto-
rem etiam benevolum rogamus, ut praesentem aequi bo-
niquè consulere velit opellam, Et hisce exiguis pagellis
contentus esse, veniat dum seris usus ab
annis.

§. I.

Ordior jure merito ab origine nostri *Abrabanielis*, ostensurus quid circa eandem observari debeat. Est inter Judaeos magnus consensus, regia è Davidis familia ortum traxisse, à ducibus principibusque prognatum fuisse Nostrum, fatentibus id R: *Menasse Ben Israel*. in *Quaest. LXV.* in *Genes.* pag. 89. seq. apud *Johannem Hoornbeek* de convertendis Judaeis *Lib: II. l. pag. 139.* qui totam historiam prolixè recenset, & apud *Actorum Eruditorum Collectores* l. c. pag: 528. itemque apud *Petrum Daniele Huetium* in *demonstrat: Evangel: Propos: IX. §. 14.* pag. 633. edit: *Amstelod: sive pag: 351.* edit: *Paris: R. Isaaco Ben Geath*, cujus auctoritate & Noster nititur *Comment. in Zachar. Cap: XI. fol. 293. col. 4.* edit: *Lips: conf: ejusd: praefat: ad Proph: majores.* Nemo vero miretur, Judaeos, maximè autem modo dictum *Menassem* tanta de familia *Abrabanielis* gloriari, quandoquidem ipse *Ben Israel* uxorem suam *Rachelem* ex stirpe Nostrum ortam esse, sub calcem libri de termino vitae, scribit. *Conf: Hoornbeek. l. c. pag: 145.* Scilicet cum rege *Babyloniae* ad occupandam sanctam civitatem magnates gentium advenisse, ac Judaeos è patria sua abduxisse, interque eos *Herculem*, summa potentia, & populorum, quos imperio subjectos suo regebat, multitudine inclutum, qui *Hispanico* regno praefuerit, sed mox *Italiam* indeque *Graeciam* migraverit, filio interim ex sorore edito, nomine ^{//} אִישָׁפָאן à quo tota *Hispania* appellatur, fasces imperii committente fuisse, cujus filia, quam habebat, unica, *Graeco* principi ^{//} פִּירוֹשׁ vocato nupserit, desolationis prioris aedis sacrae primae socio, captaeque ex *Judae*, *Benjaminis*, *Simeonis* tribubus, additis *Levitis*, cum Sa-
cerdo-

cerdotibus, turbae, ex nobilibus & ignobilibus constantis, in Hispaniam deductore, qui adductis Iudaeis אנדלוייאה atque טוליטולה provincias inhabitandas concesserit, reliquis forte in Galliam, Angliam, Germaniam &c. abeuntibus, ipse persuadere *Abrabaniel* ad 2. Reg: Cap: ult: fol: 71. a. b. edit: Hamb: legentibus conatur, quam historiam quoque deprehendes in *Maschmia Feschuah* fol: 61. b. in fine. Salvam itaque genealogiam, etiam extra terram degentibus Israeliticis, obtinuisse se arbitratur Noster, qui proinde in *praefat. ad Prophetas priores* generali universam majorum suorum seriem recenset, & titulo Isaaci Filii Judae, Filii Samuelis, F. Judae, F. Josephi, F. Judae superbit. Hinc etiam dicto loco & in *praefat. ad I. lib: Regum* vocat se נגיד ומצוהלאומו *principem atque legislatorem populi sui*, desumpta phrasi ex *Ies. LV. 4.* hinc nomen שר *principis* sibi avisque suis in locis memoratis tribuit, quibus adjunge *praefat. ad Maschmia Feschuah* fol. 2. col. 4. & R: *Israelis Hasiphroni סדר הגדה של פסה* Venet: 389. sive A. C. M DCXXIX. in Fol: cum figuris edito, ubi statim in fronte libri *Abrabaniel* hac appellatione vestitus conspicitur: ut alia nunc taceam. Nostro dicata encomia, suo loco adducenda.

§. I I.

Atque hinc satis constat, quibus majoribus originem suam Noster debeat: nunc etiam quaenam eidem contigerit *patria*, dispiciendum est. In Portugalliae regno communi hacce vitae aura frui coepisse *Don Isaacum*, partim ex *Julii Bartoloccii Bibliotheca magna Rabbinica* constat, qui verbis expressis testatur, Judaeos omnes, nomine *Don* insignitos, aut Portugallenses, aut Hispanienses esse, partim ex proprio Nostri testimonio, qui in *prae-loquio ad Lib. I. Regum*, non procul ab initio regnum Portugalliae ארע מולדתו *terram nativi-*

B

tivi-

*tivitat*is suae appellat, satis constat. Quatenam vero speciatim civitas, patria *Abrabanielis*, quodnam illud tempus, quo in hanc lucem editus fuerit; malo equidem verbis clarissimorum *Aëtior. Erudit. Collectorum*, ex pag. 529. depromptis, quam meis significare. Sic autem ibidem loquuntur. *Ceterum è majoribus Noster Castellam Hispaniae, ex parentibus Olyssiponem Lusitaniae agnovit patriam, lucemque hanc vidit anno mundi 5197. sive à nato Christo anno 1437. parte usus Jehuda, avo Samuele. Conf. celeberrimus Dominus Buddens introduct. ad histor. Philosoph. Ebraeorum p. 117.*

§. III.

Ad nominis rationem quod attinet, incredibile dictu, quantum Auctores inter se discrepent. Vir Summus, & nostrae quondam Academiae maximum decus, etiam post fata maximus *Johannes Saubertus* in *Palæstra Theologico-Philologica*, pag. 187. *Isaacum Barbanellam* Nostrum rectè nominari, vulgò autem *Abarbanelem* dici scribit. Alii *Abarbinelem*, alii *Abirbinelem*, alii *Abarbanelem*, alii aliter eum salutant. Placet nobis nomen *Abrabanielis*, vel *Abrabanielis*, quo seipsum appellasse praefat. in XII. Prophet. minores, demonstrat *Franciscus ab Hufen*, praeloquio versionis *Abrabanielis* in *Hoseam*, loco infra citando; cujus profectò appellationis non obscurum indicium illud quoque est, quando Noster aliique Judaeorum nomen ejus h. m. אַבְרָבָנְיָאֵל pingunt. Atque hunc quidem scribendi nuncupandique mōdum recentiores ferè omnes, saltem accuratiores, scriptores sequuntur. *Franciscus* scil. *ab Hufen*, item *Simonius* in *Hist. Crit. V. T. Josephus de Voisin ad Raymundi Martini* Pag. fidei, in *Traëtat. de Deo ejusque proprietatibus*, libro de *Jubilaeo secundum Hebraeorum & Christianorum doctrinam*, ceterisque scriptis suis omnibus, nec non *Hoornbeek* lib. sup. cit. cum *Const. l' Empereur* passim, *Bartolocius*, ac alii innumeri, qui aut *Abrabanelem* aut *Abravanelem* aut denique

Abra-

Abrabanielem eundem vocitant , à quibus Judaei tantum abest ut recedant , ut potius plus vice simplici eos pari ratione Nostri nomen pronunciaffe audiverim.

§. IV.

Educatus in urbe patria , ibidemque ad maximas in aula dignitates ab *Alphonso* rege adhibitus fuit , quo etiam factum est, ut artibus negotiisque aulicis totus deditus animum ad scribendum applicare non potuerit , prout ipse Noster in fragmento quodam apud R. *Gedaliam* in Schalsch. Hakkab. pag. 64. testatur, quem locum ab Illustri *Wagenfeilio* in Telis Igneis Satanae pag. 67. seq. latinè redditum , describere operae pretium erit. *Omnes istos commentarios librosque composui , postquam patrio solo egressus sum. Prius enim in regum aulis occupabar , neque otium mihi erat ad meditandum , aut peritia ad scribendum, diesque meos in vanitate , & annos in solitudine consumpsi , ut divitias & honorem mihi pararem; atque sic etiam istae opes male rursus perire. Postquam autem vagus profugusque in orbe esse , & argento egere oecoepe , tum vero sacras literas sum scrutatus.* Faciunt huc integrae *Abrabanielis* in librum Josuae, prioremque regum praefatt. ubi prolixè florentem sui statum, gratiam regum , favorem magnatum , opulentiam , rerum omnium abundantem copiam , quibus tamen privatus postmodum fuit , recenset.

§. V.

Juvabit ipsum ea de re audire *Abrabanielem* differentem , imprimis quia in locis memoratis fatorum seriem , expulsionem è regno Portugalliae ut & Hispaniae , calamitatesque varias, in quas implicatus fuerit , phrasibus ex scriptura petitis , quas quidem in praefationibus adhibere Judaeis, maximè autem Nostro, solenne est , describit. Attendere potissimum ad tria temporum momenta decet, Rabbino Nostro *fatalia*. Primum continet ejectionem sub rege Johanne è Lusitania , in qua ad Ann.

XLV. permansit, quam in **הקדמה** ad Josuam sequentem in modum enarrat. Johannem scilicet II. Alphonsi V. Successorem, Judaeorum inimicum, diem angustiae, increpationis & exitii universo populo Israëlitico, haereditatique filiorum Jacobi, imperio ejus subjectae, diem, inquam, nocti magis, quam luci similem, contraxisse; morte per fenestras ingrediente, gladio quaevis consumente, ita ut filia Israëlis tanquam casa in deserto loco fuerit. Hunc Johannem II. omnes Patris defuncti summos aulae ministros, provinciarum praefectos, ipsos denique cognatos, nec non Nostrum dignitatibus exuisse, hanc praetendens causam, quod sibi totique regno suo insidias parare, & in potestatem Hispaniarum regis tradere studuerint. Cum itaque ira regis indies invalesceret, quam malevolorum hominum invidiam & calumniandi libidinem, mirum in modum auxisse scribit Noster: Factum est, ut quam celerrimè regem submisso cultu venerari jussus *Don Isaac*, quum in itinere in diversorio de insidiis à rege sibi paratis monitus fuerit, relicta uxore, liberis, opibusque solus nocturno tempore aufugerit, atque in Castiliae regnum ubi multos docuit, devenerit, rege interim jubente, ut persequantur Nostrum, prehensumque vel vivum vel mortuum adducerent; sed cum eo potiri non potuisset, facultates Nostri omnes Regem invasisse. Sunt quidam è Christianis, qui harum calamitatum & infaustae fortunae causam *Abrabanielem* perhibent, qui proinde etiam noctu salutem in fuga sibi quaesiverit, & prout modo dictum est, in Castellae regnum secesserit. Vid. *Act. Erudit. Ann. cit. pag. 529.* A Ferdinando Catholico & regia conjuge, qui Nostrum inter aulae ministros esse voluerunt, magna se clementia ornatum fuisse testatur, *prae-fat. in I. lib. regum*, officia sibi imposita ad annum usque octavum obiens. *Anno vero nono sive A. C. 1492.* Granadae regnum integrum quum occupasset *Ferdinandus Rex*, in gratae mentis indicium & debitae erga Deum observantiae pietatisque testi-

monium,

monium , aut Judaeos ad fidem Christianam adigendos , aut regno universo eliminandos esse , sanctè vovit. Hanc imminentem non sibi tantum , sed integrae genti extremam in Hispania cladem , tametsi Noster , tribus regem vicibus adiens & supplex orans , avertere studuerit , tantumque pecuniae , quantum postulaverit rex , & ipse & subditi Judaei omnes appendere promiserint : nil quicquam tamen efficere potuit Noster , abitu & expulsionem Elisabetha cum magnatibus urgente. Irrevocabile istud Ferdinandi Catholici decretum eò adegit Judaeos , ut uno die 300000. inter quos & Noster Hispania exierint , quibusdam Portugalliae , aliis Navarrae in regnum tendentibus , *Abrabaniele* verò mari sese committente , & cum tota familia Neapolim A. C. 1493. veniente , ubi in aulam Ferdinandi & postmodum Alphonsi irrepsit ; Totam hanc historiam auctor *Sehebet Juda* p. 317. ff. edit. *Gentianae* ex Nostro refert. *Ultimus* infelicis fortunae terminus comitantis Nostri incidit in tempora Caroli VIII. Galliarum regis , qui post Ferdinandi ex hac vita secessum , cum Alphonso bellum gerens , hunc tandem Messenem migrare coegit , cujus fidus Achaetes fuit Noster : Mortuo interim Alphonso , hinc inde errabundus divagabatur *Don Isaac* , tandemque in Insulam Corcyram venit. Mox in Italiam repetens , Monopolim in Apulia habitatum concessit , quo in loco varios libros conscripsit , paulo post nominandos. Venetias deinceps adscito Filio Josepho pervenit , *lites inter Venetos & Lusitaniae regem ob aromatum mercimoniam motas* , compositurus , ut verba in *Act. Erudit.* pag. 531. exstantia mea faciam. §. VI.

Ut autem ea quae ad fata Nostri pertinent , & de iis huc usque dicta sunt , clarius appareant legentibus , tenaciusque memoriae infixae haereant : non inutile fore arbitramur , si secundum ductum praefationis ad *Maine hajeschuah & Bartolocci* in *Bibl. M. Rabb.* part. III. p. 887. brevem ad tabellam omnia quae huc spectant , secundum feriem annorum disposita , redegerimus.

Anni Mundi juxta Hebr.	An. Chr.	An. Ab. raban.	
5197	1437	0	Natus est Liffabonae.
5217	1457	20	Publicè in Synag. Deut. explicare coepit, quem conscriptum per- didit, mox autem reperit.
5241	1481	44	Castellae in Regnum, An. I. Johan. II. Pont. R. fugit.
5244	1484	47	In aulam Ferdinandi Catholici vocatus scribit commentarium in Prophetas priores.
5252	1492	55	Ex Hispania pulsus Neapolim ad- pulis, & in aulam Ferdinandi Regis Neapolitani secedit.
5253	1493	56	Commentatur Neap. in Lib. Reg.
5254	1494	57	Cum Alphonso II. Ferdinandi suc- cessore in Siciliam abit,
5255	1495	58	Alphonsus II. moritur Corcyram abit Noster, & in Prophetas po- steriores commentatur.
5256	1496	59	Sub Ferdinando II. Monopolim secedit, ubi moratus ad annum 1503. fuit, scripsitque Sebach Pasach, & Nochaath Avoth Coment. in Pentatev. & Deut.
5257	1497	60	Ibidem Maine hajeshuah absolvit.
5258	1498	61	In Jesaiam commentatur Masch- miah Jeschuah & Jeschuot Me- schicho scribit.
5263	1503	66	Venetias cum filio suo vadit.
5264	1504	67	Ibi in Jerem. Ezech. & XII. Proph. commentatur. (pelitur.
5268	1508	71	Ibidemq; moritur, sed Patavii se-
5269	1509	0	Obsidione premitur Patavium, & monumenta Judaeorum, inter- que ea Nostri, diruuntur.

§. VII.

Atque heic quidem, Venetiis scilicet, vitam cum morte commutavit, anno aetatis septuagesimo primo, anno verò Christi MD VIII. relictis (iterum loquor ore *Collectorum Actorum Eruditorum*. l. c.) filiis Jehuda, Medico & insigni Poeta, qui variis poematibus parentis merita & scripta illustravit, Josepho ac Samuele, quem Christianam fidem Ferrariae suscepisse & de nomine ducis illius urbis Alphonsum cognominatum fuerunt: nominis quoque celebritate parva monumentis litterariis praeter superiora non paucis, nec minoris momenti, quorum alia lucem nondum viderunt, pleraque tamen manibus versantur. Quid de uxore ejus factum, num majus vitae tempus vivendo atque maritus supergressa sit, quando diem obierit supremum, aut quot annis thori socia Nostri fuerit, juxta cum ignarissimis, deficientibus hac in re monumentis, scio. Licet vero extremum vitae spiritum Venetiis traxerit; Paduae tamen comitantibus multis Judaeis extra urbem loco jamjam devastato (portamque à cauda magna nomen habentem) sepultus, ac elapsis quinque diebus mortuus est R. Jehuda Menz Academiae Rector, qui ad latus *Abrabanielis* humatus fuit: utrorumque monumentum propter subsequentem obsidionem Patavii, factam anno MDIX. non amplius conspicitur. Vid. editor libri *Maine hajeschuah* in praefat. operi praemissa.

§. VIII.

Dogmata Nostri recensere nolumus, quoniam ubivis in scriptis ejus obvia sunt, & cuivis legenti facile apparent. Vnicum saltem & quod aliorum maximè incurrit accusationes, de revolutione animarum agit. De hac sententia differentem placet audire *Saubertum* in *Palaestra Theologico-Philologica*. pag. 50. & seq. Inter Rabbinos qui גלגול נשמות seu μεταψύχωση statuunt, fuit quoque Don Abarbenel, qui ex hoc principio probabile esse autumat, olim in die extremo singulas animas
rever-

reversuras in ea corpora, quae primò informarunt & inhabitaverunt, ac cum iis praemio aut poena affectum iri ceteris corporibus, in quae postlimio migrarunt, talis iudicii expertibus, Comment: in Pentatev. Absurdissimae ex hoc asserto deduci possunt consequentiae, quin imò Theologiae Iudaicae è diametro repugnantes: ideoque sententiam de revolutione animarum seu transanimatione iterum deserit ac damnat Abarbenel Comment. in Daniele fol: 50. col. 1. Factum hinc est, ut animam Esavi in corpus Christi migravisse ac **ישי** per anagramma vocari **ישי** cui etiam moribus per omnia similis, desertis in locis oberrans, lites & contentiones excitans fuerit, non sine crimine statuerit Don Isaac. Impiam hanc & scelestam opinionem refutavit Augustus Pfeifferus, in prolegomenis ad Obadiam ex Abrabaniele latine redditum, & sub examen revocatum, pag: 8. seq: Idem ad oculum demonstravit, Nostrum falsum Prophe- tam egisse, l. c. pag. 31. & 32.

§. IX.

Antequam de scriptis ipsis editionibusque agam: non inutile fore arbitror, secundum seriem annorum, quibus opera sua scripsit Noster, disposita ita exhibere. Commentari in Josuam coepit anno MCCCCLXXXIV. mensis Marchesvan, sive Chesvan die X. absolvitque suam in hunc librum explicatio- nem ejusdem mensis die XXVI. In librum Judicum conscribere Commentarium auspiciatus est, die I. mensis Cislev, quem perfecit XXV. die. Samuelem illustrare aggressus est. I. mensis Tebet, quem laborem XIII. mensis Adar finivit, atque ita quinque mensium spatio commentarios in ante dictos libros omnes ad umbilicum perduxit. Cum jam in eo esset, ut in explicandis Regum libris suas vires periclitari vellet, à Ferdi- nando Catholico in aulam cooptatus fuit, ubi etiam concredita obiit munera ad annum usque aetatis LV. Anno MCCCXLV. commentarium in Jesaiam conficere suscepit. In Monopoli anno

anno sequenti commentarium *in Deuteronomium* inscriptum
 מרכבת המשנה eodemque anno in vespera Paschatis
 פסח composuit atque XI. die mensis Tamus memo-
 ratu anni אבות נחלת absoluit. Ibidem anno MCCCCXCVII.
 מעיני השועה conscripsit. Sequenti anno commentarium
 in *Iesaiam*, atque simul משמיע ישועה concinnavit. Hisce
 libris, videlicet משיחו ישועות item עזק עולמים ut &
 רוש אמנה cum מחזה שדי nec non ספר ימות העולם
 ac עטרת זקנים quibus adde מפעלות אלהים atque
 להקת נביאים denique ספר שמים חדשים nec annus
 quo compositi, nec locus ubi conscripti fuerint, adscribi po-
 test. Ceterum, quod propemodum animo exciderat, com-
 mentarius Nostri in *Pentateuchum* varia expertus est fata. Con-
 scribere hunc coeperat Lissabonae, ubi etiam cum fugere à
 Johanne rege coactus fuisset, è museo aliis cum libris ablatus
 ei fuit. Corcyrae tamen nescio quo fato eum reperit. Vid:
 edit: lib: *Majne hajeschuah* in praefat.

§. X.

Quoniam ultimo loco mentio facta fuit commentarii *in
 Pentateuchum*; id circo ab illo in enarrandis editionibus, inci-
 piam. Prodiit is, anno CCCXXXIX. seu 1579. cura R. Sam.
Archivolti, auctoris libri ערוגת הבשם Venetiis in fol: sub
 signo quatuor coronarum, & ibidem an. MDCIV. Reliqua
 scripta prout sese animo offerunt, recensere placet. Commentarii
in Prophetas priores gemina mihi innotuit editio, Hamburgensis
 in fol: apud Thomam Rose, Anno M.C. MMMMCCCCXLVII.
 cum novo commentario rerum praeteritarum & intermissa-
 rum, auctore R: *Iacobo Fidanque* edita: altera Lipsiensis, ea-
 que longè elegantior & cultior, A. C. MDCLXXXVI. in fol:
 itidem excusa, de qua, quid prae priori habeat, Act: Erudit:
 ad dictum annum sic loquuntur: *Omnia hujus operis ornatus,
 eximiaque in Lipsiensi hac editione suppellex, lectorum usibus*
 C per-

perquam aptè inserviens, debetur cum Viro Maximè Reverendo Dno. Pfeiffero, Academiae nostrae Prof: Publ. & Ecclesiastæ celeberrimo, qui & praestantiam commentarii, & elegantiam operis, dignis elogiis in praefat: exornavit: tum litterarum harum parastatae Friederico Alberto Christiani proselyto nostro, meritis in haec studia satis claro, qui vigilem splendidi apparatus curam in se suscepit. Non charta solum mundissima, sed & typi nitidissimi elegantissimique oculos lectoris oblectant. Sed & textus à mendis, quibus prior editio scatet, sollicita opera est purgatus: ut lectorem non amplius remorentur horridae asperitates, sed rectà ubique expressio mentem lectoris velut per planum campum sine haesitatione suaviter abripiat. Praeterea, ut omni modo lectorum commodis serviretur, ipsi commentario nitida fuit induta forma, qua Christianorum commentarii ob variam distinguendi curam superbiunt, & versus etiam in textu Rabbinico adjecti sunt; scripturae loca, adjectis citatisque commatibus, ut & loca Rabbinorum, in quae digitus intenditur, addita sunt; cum gemino indice, uno locorum scripturae, altero rerum & verborum. Opportunè hoc loco succurrit, tertiam quoque exstare editionem Venetam scil. an. 253. seu 1493. fol. editam, quam tamen videre nunquam mihi contigit. In posteriores Prophetas commentatio prodiit elegantissimis typis in fol: aliis editionibus praeferenda, anno CCCCI. sive A. C. MDCXLI. apud Benbenisti, uti videtur, licet loco turris juxta leonem in cacumine figurae fronti libelli praefixae, palma depicta sit. Ei filius Nostri, Juda carmen praemisit, cujus LII. vel LIII. rhythmus omnes in □' desinunt. Editus quoque hic comment. ap. Soncinate est 280. seu 1520. in fol. cum punctis S. textui additis. Succedit commentarius in Deuteronomium מרכבת המשנה i. e. *currus secundanus*, desumpto ex Genes. XLI. 43. titulo. inscriptus. Buxtorffius in Biblioth. Rabbin. pag. 380. librum equidem nominat, non ta-

men

men auctorem, quem *Abrabanielem* esse ex ejusdem commen-
tario in Prophetas posteriores fol. 22. b. in fin. & fol. 201. col. 3.
constat. Lucem adspexit seorsim Savionettae A. C. M'DXIII. in
folio *Commentarium in Exodi XXIII. 20.* docente *Buxtorf.* l. c.
pag. 392. sub nomine עטרת וקנים Prov. 17. 6. evulgavit,
ibidem anno CCCXVII. seu MDLVII. in quarto, impressum. In
lectionem de Paschate librum זבה פסח inscriptum non tan-
tum Cremonae an. 337. Christi 1557. in quarto uti *Buxtorf.* pag.
336. docet, sed & Monopoli MCCCCXCVI. & CPoli 66. seu
1506. Venet. 305. seu 1545. in quart. nec non Rivae 1561. fol. pro-
diisse constat. Ex hoc libro compendium *R. Israel Hasiphroni*
confecit, cujus jam supra §. I. mentionem injecimus. *Caput*
fidei, seu titulus ex Cantic. IV. 8. petitus habet, Hebraicè
אשר אמנה dictus, fidei articulos Judaicae polemicè pertra-
ctat contra Maimonidem, prodiitque Constantinop. 366. seu
1506. quart. Venetiis apud Marcum Antonium Justinianum anno
CCCV. seu A. C. MDXLV. in quart. Nescio quid sibi *Buxtorf.*
lib. cit. velit, dum scribit: *Habemus etiam interpretationem la-
tinam hujus libri, sed nondum impressam; quam tamen Gui-
lielmi Vorstii latina versio jam Amstelod. MDCXXXVIII. in quart.*
prodierit. In *Salutibus Messiae*, tit. ex Psalm. XXVIII. 8. deriva-
to, explicantur à Nostro dicta Gemarae & Deraschot de Messia.
Incertum est, teste auctore praefat. in *Maine hajeschuah*, quo
hic liber devenerit. Hic liber cum duobus seqq. uno titulo *Migdol*
Jeschuoth ex 2. Sam. XXII. 51. adpellatur. Et quoniam apta se oc-
casio offert, hunc posteriorem librum, cujus inscriptio ex Isaiae
XII. 3. decerpta, commemorandi, eum anno CCCXI. seu A. C.
MDLI. quarto non addito loci nomine typis exscriptum fuisse,
monendum est, ut inde *Buxtorf.* l. c. pag. 375. Constantinopoli
editum fuisse arbitretur; *Bartoloccus* vero in *Biblioth. M. Rabb.*
part. III. p. 878. ex qualitate characterum chartae, & ornamenti
frontispitii, foetum fuisse typographiae heredum *Soncinatum*
putet.

putet. Recusus extat Amstelodami anno CCCCVII. seu A. C. MDCXLVII. in quart. per Davidem filium Abrahami de Castro &c. Progredimur ad *Maschia Jeschuah*, cujus operis appellatio ex Jes. LII. 7. deducta est. Tres omninò editiones hujus scripti conspiciuntur : quarum prima & antiquissima sine die & sine consule, ceu loquitur *Carpzovius* in Introductione ad Theologiam Judaicam; Cap. X. §. 5. pag. 81. quae praemissa est pugioni fidei *Raymundi Martini*, lucem adspexit; quae tamen Constantinopoli impressa videtur. Ex *Bartoloccio* l. c. p. 879. an. 286. 1526. ap. R. Judam de domo Gedaliah prodiisse, patet. Altera Anno CCCCIV. seu A. C. MDCXLIV. quart. apud dictum Benenisti; tertia denique in fol. non ita pridem, nullo addito impressionis aut loco aut anno, nisi quod secundae editionis annum servaverit, prodierunt. Manifestus itaque error est *Buxtorfii*. l. c. pag. 355. scribentis, nunquam sibi videri impressum hunc librum. Scripsit ad haec Noster **ימות עולם** s. *dies seculi*, in quo se libello omnia fata sui populi inde ab Adamo usque ad sua tempora recensere promittit. Vid. *Carpz.* loco dictato §. 6. pag. 81. **לקהת נביאים** seu *congregatio Prophetarum* 1. Sam. XIX. 20. de vaticiniis, potissimum autem Mosis, contra *Maimonidem* instituta est. In **מעלות אלהים** seu *operibus Dei*, Aristotelem ceterosq; mundi aeternitatem defendentes, impugnat, & simul de operibus Dei, quae ad extra vulgo nominant, item de mundo, angelis, lege Mosis, differit. Vid. *Clar. Buddens* in *Philosophia Hebraeorum* pag. 177. prodiit Venet. anno CCCLII. seu A. C. MDXCII. quart. Commentarius R. *Mosis Maimonidis* & Nostri in *Pirke Avoth* inscriptus **נחלת אבות** cui inscriptioni locus Prov. XVIII. 14. vel I. Reg. XXI. 3. ansam dedit, Constantinopoli A. C. MDVI. itemque Venet. anno CCCV. seu A. C. MDXLV. quart. & CCCXXVII. siv. A. C. MDLXVII. fol. prodiit, in gratiam Samuelis filii compositus. Conf. Nostri commentarius in *Prophetas posteriores*, fol. 204. col. 4. In **צדק עלומים** seu

seu *Iustitia seculorum*, de praemio boni & mali, de mundo corruptibili, animarum, de Paradiso & inferno, de resurrectione defunctorum atque extremo iudicio, teste ipso Nostro l. c. verba facit. In libro *מהוה שדי* seu *visionibus omnipotentis*, de prophetia agit. Periit hic liber, ejusque loco *Labakath Neviim* confecit. vid. editor *fontium salutis* add. Noster in *Maine hajeschuah* f. 18. col. 4. in med. In libro *שמים חדשים* seu *novorum coelorum*, de innovatione mundi cum explicatione Part. II. 19. More Nev. agit, teste ipso Nostro *Schalschhakkab.* p. 64. Deprehenditur *Compendium commentarii Abarbanelis super Pirke avot*, item *super historiam agni paschalis*, inquit *Buxtorf.* l. c. pag. 406. *authore Jacob bar Eliakim Heilpron. Lublini in Polonia A. C. MDCIV.* conf. *Bartoloccus* l. c. p. 837. & 883. Idem *Buxtorf.* pag. 295. non modo inter optimos scripturae interpretes Nostrum refert, sed etiam haec addit: *Intellexi nuper integrum Abarbinelem, in Turcia duobus magnis voluminibus excusum, nactum esse amicum meum, Gualterum Keuchonium, Rectorem scholae Hanovianae. Quod si verum, est quod sibi gratuletur. Nam liber est summe commendatus.* Doleo interim, eò felicitatis nunquam me pervenisse, modo laudatum à *Buxtorfio* volumen inspicere ut potuerim. Memini etiam Noster in *Maine hajeschuah* Fonte. 2. Palma 2. dissert. contra *Maimonidem* de curru Ezechielis. Denique responsio ad XII. Qq. philosophicas, a R. Saule Germano sacerdote, (*הכהן אשכנזי*) Nostro propositas, inter MSSa Bibliothecae Lugdunensis, & quidem in legato Warneriano exstare dicitur. Vid. *Bartoloccus* l. c. p. 883.

§. XI.

Paucis nunc ea quae sparsim hinc inde ex Nostro in latinum sermonem transtulerunt nonnulli, & quae nostram in notitiam parvenerunt, perlustrabimus. *Dissertationes quasdam Philosophicas* ut plurimum, in commentario in Pentateuchum occur-

rentes, *Buxtorfius* in *Dissertationibus Philologico - Theologicis* sub finem versas adjunxit. *Vorstius* quod supra monitum fuit, *caput fidei*, *Ludov. de Compiègne de Veil* Exordium seu proemium commentarii Nostri in Leviticum, versione *Maimonidae* de Sacrificiis, Londini 1683. quart. editae, adjunxit, ac simul *R. Mosè Maimon.* de consecratione Kalendarum & ratione intercalandi ibidem versione Latina elegantissima ornavit. *Pfeifferus* Wittenb. 1668. quart. & *Sebaldus Snellius* Obadiam, Altdorf. 1647. quart. *Scherzerus* in operae pretio Orientali, vel uti alias titulat, in trifolio Orientali, Lipsiae 1663. 4. Prophetam Haggai, *Franciscus ab Husen* praefationem prolixam *Abrabanielis* in XII. Prophetas minores, ipsumque *Hoseam*, L. B. 1688. 4. *Constantinus l' Empereur* Jes. Cap. LIII. L. B. 1631. octav. *Johannes Diedericus Sprecherus*, Nahum Helmest. 1703. quart. & *Habacucum*, ibid. eodem latine reddierunt. Librum *Maschia Jeschuah* quidam nomine *Jacobus Lippius*, vel potius ipse *Carpzovius*, ex sermone Rabbinico in latinum transferre pollicitus est, eamque ob causam primum oraculum de Bileamo latina civitate donatum, disputatione publica sub praesidio *Carpzovii* Lips. MDCXCII. habita evulgavit, quod tamen specimen nullum aliud deinceps ulterius excepit, quantum quidem novi; tamen Clar. Dominus Praeses meus propediem totum librum versione notisque instructum, in lucem prodire jubebit. Addeamus interim, quae *Bartoloccius* l. c. habet. Hunc, inquit, (librum sc. *Maschia Jeschuah*) *recapitulavit, & Latine reddidit Antonius Hulsus* in *Appendice sui libri de Messia, & Hebraice atque Latine evulgavit typis Abrah. Subingii, Bredae anno Dom. 1653.* in quart. *Maine Hajeschuah Buxtorfium* in stylum latinum convertisse testatur *Theophilus Spizelius* in arcanis Bibliothecarum revelatis, voce *Abarbanel*, quem librum & ipse à Buxtorfo communicatum descripsit, & in Bibliothecae *Spizelianae* catalogo extitisse recordor. Quid *Pfeifferum* post curam *Snellianam*

ad

ad Latine exhibendum Obadiam impulerit, ipse in præfat. suae versionis declarat, dum illam versionem latinis auribus vix ferendam, nec in mente *Abarbanelis* percipienda felicem esse perhibet. Num alii alia ex Nostro convertere studuerint, NON LIQVET.

§. XII.

Judaeorum de Nostro testimonia & elogia hoc loco cumulare supervacaneum esse censeo, quandoquidem ea vel parum vel planè nihil propria in causa valent. Unum tantum alterumve speciminis loco in praesentia adducam. R. *Salomo Virga* in *Schebeth Fehuda* pag. 319. edit. & vers. *Gentii*, summum & incomparabilem virum eum nominat. R: *Juda Leo Modinensis* in praefatione libri *הגדה של פסח* à R. *Israele Hasiphroni* editi, Nostrum *אילן גדול* appellat. Est vero frequens haec & usitata apud Judaeos consuetudo, ut doctores suos, qui prae aliis excelluerunt, nomine *אשל* & *אילן גדול* ornent. Sic ipse *Abrabaniel* in praefatione ad *Maschmiah Feschuah* fol. 2. b. in fine R. *Hillelem* sapientem, magnum, (Amos II. 9.) validum tanquam quercum, ac paulo post arborem magnam, vocitat: Quid vero hisce nominibus indigitetur, Dominus *Georg. Eliezer Edzardi* in notis ad tituli tractatus Talmudici *Avoda Sara* Cap. I. pag. 219. ostendit. Reliqua nunc lubens prudensque praetereo.

§. XIII.

Missis Judaeorum laudibus *Abrabanieli* tributis: quae Christianorum de Nostro sit mens, quam insignia judicia, ea hoc loco, & quidem secundum seriem litterarum disposita, considerabimus I. *Actorum Eruditorum Collectores* ad annum M DCLXXXVI. pag. 532. sic de Nostro censent. *Ita extinctum Venetiis hoc lumen inter Judaeos enatum, quando majus atque splendidius in Ecclesia Christi in Saxonia oriebatur, quod Evangelii radios in totum orbem subito sparsit. Inciderat ergo in eam aetatem, qua cum nobili arte typographica, elegantiores literae*

literae in Italia & Germania è barbarie inter Christianos re-
 surgebant, & in omnibus artibus praeclara ingenia promica-
 bant: fecitque adeò inter suos quoque Abarbanel, in tanto ne-
 gotiorum publicorum strepitu, exiliorum continuorum tumultu,
 traditionis praecipue Judaicae densissimis tenebris, quod Ju-
 daeus potuit. Dum rem Christianam attigit in suis scriptis,
 nullus crassior & spiritu turbulentiae plenior: dum antiqui-
 tatem & phrasin enarravit, nullus subtilior atque sincerior.
 Planus ibique & perspicuus. Magistrorum verbis non nisi ubi
 placent, addictus. Nec in Christianorum scriptis hospes. Li-
 bertate judicii usus, nunc laudat, mox damnat Aben Esram,
 Majmonidem, Kimchium, Nachmanidem, Albo, aliosque Ju-
 daeos aequè ac Christianos, prout suis rebus inservire viderit.
 Plagio litterario infensissimus: ut Kimchium saepe aliosque ejus
 vitii arguere non vereatur. Exiliorum vero calamitate pres-
 sus, ac Judaicae Synagogae afflictissimo amore, inque Chri-
 stianos furore ad calamum compulsus, omnes suos propè libros
 atque commentarios doloris ac indignationis sensu tinxit, &
 ad praesentem iniquissimae fortunae conditionem omnia traxit,
 hoc fine, ut expiranti Synagogae vitam redderet, ac despera-
 tioni communi remoram injiceret. Magnae Bibliothecae Rabbi-
 nicae auctor, Julius Bartoloccus de Celleno Part. III. p. 874.
 consignavit tale judicium: R. Abravanel summa diligentia a
 parentibus educatus excrevit in Virum doctum, Judaica tamen
 vafricie & calliditate cum quadam animi tranquillitate, &
 humana prudentia in arduis negotiis consilium suum ferendo
 conjuncta, non caruit: ut aliquando (sicut ipse de semetipso
 testatur) tempore belli ejus sit usus consilio Alphonsus hujus no-
 minis V. Lusitanorum Rex Pag. 875. seq. sic censet de Nostro:
 Fuit Vir perspicui, sed pessimi ingenii; in labore studiorum infatiga-
 bilis, ieiunii patientissimus, vigiliis assuetus, ita ut insomnes no-
 ctes studii gratia traheret. Scripturarum vero sacrarum dili-
 gens,

gens sed plerumque mendax explanator, & ita facilis in scribendo, ut intra paucos dies nonnullos sacrae scripturae libros explicavit, & ediderit. Fuit & infensissimus Christianorum in scripturis apertus inimicus, ut mirum sit, eo tempore, quo calamomaledicta in Christianos scripta exarabat, eodem quoque (ut ita dicam) momento Principibus Christianis adulabatur; Christianorum consortia non evitabat, sed fovebat mansuetudine, familiaritate, animi alacritate, & dictis ita jucunde prolatis ut cum alterum Christianum credidisses: intus tamen versi pellis venenum fovebat, quod atramenti commixtum liquore contra Christianam religionem evomuit in chartas. Illius blasphemias in Christum Domini, in ejus Ecclesiam, in summum Pontificem, Cardinales, Episcopos, totumque clerum & Christianos omnes, praesertim Romanos, per omnes fere Commentarios S. Scripturae passim disseminavit. Praecipue vero in Commentariis super Prophetas posteriores, quos ita foedavit, ut vix pagina sit, quae ab hac pestifera lue immunis inveniat. Ideoque haec illius scripta nullatenus Judaeis permittenda esse censerem. III. Clarissimus Dominus Buddeus introductione ad Histor: Philos: pag. 176. ita judicat. Ad ratiocinandum plerique (Judaeorum) sunt ineptissimi. Sane ex recentioribus praeter Jsaacum Abarbanelem, atque Menassen ben Jfrael, pauci forte hoc in genere aliquam laudem, suo quidem merito, consecuti sunt. Tum pag. 177. de nostro h. m. fatur: Prudentiae ejus documentum est, quod in maximorum regum principumque aulis summis rebus praefuit. Philosophica licet ex instituto pauca scripserit, e.g. מפעלות אלהים opera Dei. h. e. de creatione seu innovatione mundi, contra Aristotelem & alios, qui mundi aeternitatem asserunt, & alia quaedam, reliqua tamen ejus scripta, praesertim elegantissimi in varios Scripturae Sacrae libros commentarii luculenter testantur, eum & Philosophiae probe peritum, & in Graecorum Latinorumque scriptorum lectione haud

D

medic.

mediocriter versatum esse. Specimen prudentiae ejus civilis ipse exposuit in peculiari schediasmate V. B. Joh. Bened: Carpovius in Disp. Acad. disp. 2. d. Q. quonam arca foederis pervenerit? habita Argentorati 1658. sub praesidio D. Seb. Schmidii, Cap. III. §. 3. pag. 92. haec habet: Succedat gravioris armaturae miles, R. Iizchak Abarbanel, acuti non minus ingenii, quam verbosae loquacitatis Judaeus, qui se ab ipso rege Davide originem ducere gloriatur. Is plura de hoc Prophetae loco (Jer. III. 16. 17.) cumulat, tum in Commentario in Danielelem, quem **מעניי השועה** vocat, tum in virulento libro **משמיע ישועה** opposito Christianis, cujus Constantinopolitana editio itidem in Academiae hujus Bibliotheca asservatur. &c. Paulo post Celeberrimum eum Rabbinum vocat. Idem Disp. XXII. de vaticinio Bileami pag. 1042. seq. ab init. Quemadmodum iter commentatores Hebraeorum, si subtilitatem ingenii, verbis utor ex Praef. Comment. Abarbenelis in Prophetas priores B. Augusti Pfeifferi, dexteritatem iudicii, εὐμεδεδίαν, πολυμαδίαν, & παδιομαδίαν spectes, facile eminet Don Jsaac Abarbenel Hispanus: ita inter libros quos luci publicae exposuit, ut impietate, si rem consideremus, ita, si tractandi modum, acumine palmam reliquis sine dubio dubiam facit decantatum illius **משמיע ישועה** Composuit illud Autor ceu ex ipsius praefatione elegantissimo, & plusquam Poëtico stylo luxuriante luculenter patet, ut tum interpretes Christianorum, vaticinia Prophetarum, de redemptione futura in sensu nimis translato, ut putat, & **בדרך רוחני** h. e. spirituali modo explicantes, tum quosdam suae gentis, futuram redemptionem vel prorsus abnegantes, vel promissiones de ea factas aliter interpretatos erroris è sensu scripturae plano & litterali redargueret. Etsi vero haec ejus intentio vana prorsus sit ac inanis, modum tamen tractandi, ac medium, quo eandem assequi allaborat, non adeò spernendum adhibet. Ita enim ipse in laudata praefatione

fatione

fatione summarium totius libri exponit : incipiam à cornibus unicornum Mose &c. usque ad verba אשכילה נדרך תמים perfectissimè deducam. Captus ergo isto hominis ingenio, ac industria, cum viderem, instructissimum aliquod Mateologiae Judaicae promptuarium, & quasi compendium Theologiae Judaearum Elencticae in hoc libro nobis exhiberi, qui praeterea stylo plano & perspicuo scriptus sit; rem non indignam Christiano nomine me suscepturum putavi, si totum librum in linguam latinam transferrem, argumenta Autoris examinarem, & quam non consistant, brevissimis demonstrarem. Ejus quidem instituti specimen hac dissertatione edemus, explicationem vaticinii Bileamitici, quod inter Evangelicas istas promissiones primo loco Abarbanel reposuit, bona fide ad verbum verè expressam, quantum limites exercitii Academici concedent, strictim examinaturi. Idem in Disp. XII. de Articulis fidei Judaicae Thes. V. pag. 500. Componere lites illas (de numero Articulorum Fidei) annissus est R. Is. Abarbanel libro integro Rosch Amana inscripto, in quo omnes Rabbiorum de Articulis Fidei sententias ad examen revocat.

Ex Hieros.

§. I. Utamque facit paginam in Exegetica pariter & Elenctica Judaearum Theologia R. Is: Abarbanel, vulgò in librorum, quos scripsit titulis laudatus רב השלם Nimirum ipsemet e Davidis posteris se esse gloriatur, cum alibi saepius, tum imprimis in praefatione commentar. in Prophetas priores praemissa. Quorsum & Menasse Ben Israel gloriose provocabat, cum libros suos de immortalitate animae נשמת חיים inscriptos Romanorum Imperatori Ferdinando III. offerret, rogaretque, ne Imperator munus quantumvis à se religione ab ipso diverso oblatum respueret. Ego enim licet Hebraeus, inquit, sum tamen ex nobilissimis familiis Hispaniam egressis: mei enim filii, quoad matrem,

sunt ex familia Abarbenelis, qui originem suam ab ipso Rege Davide duxit, antiquissimae & incorruptissimae traditionis argumento.

§. II. Ita sibi blanditur gens miserrima, cumque servilis omnium & abjectissima sit, regii nobilitatem sanguinis nihilominus jaetat, quam & R. Gedalja Aben Fechija in Schalsch. Hakkab. fol. 39. initio arrogabat sibi, utut aliquantisper dubitabundus &c. sed incidit quod jaetuosus istis concoquendum proponamus illud Bar Dior in sepher hakkabala fol. LXIX. col. 1. ubi omnes qui de regia Davidis familia se in Hispaniis superfuisse gloriabantur, in uno R. Chija ben El Davidis collectos, cum eodem anno quatermillesimo DCCCCXIV. (i. e. A. C. MDLIV.) in Castilia interiisse narrat, post quem nemo hominum in Hispania remansit, de quo constiterit, esse de domo Davidica. Unde igitur antiquissima & incorruptissima traditio, de Abarbanelis familia superiori demum seculo, sub cujus initium celebris hic, de quo nobis sermo est, floruit, ex Hispaniis in Belgium egressa? Sed transeant nugae.

§. III. Potius ipsi laudem acuminis & eruditionis, & eò quidem libentius concedemus, quo frequentius nostris manibus diversi ejus libri teruntur, quorum XIII. R. David Ganz in Zemach. Part. I. fol. 61. col. 1. (vers. Vorstii pag. 151.) recenset, interque eos & hunc librum **אמנה** de quo falsissime & stolidissime Joh. Plantavitius in Bibliotheca. Rabbinica Num. DCXXXII. fol. 625. tractat hic liber praecipuè de Agno Paschali & haereditate Patriarcharum, deceptus inconsiderata lectione verborum in Zemach &c. ibidem etiam Buxtorfium notat, quod in Bibliotheca Rabbinica pag. 406. scripserit, explicari in eo praecipuos fidei articulos, cum ibi sensum articulorum non exposuerit, sed Polemicè & Elencticè de constituendis fidei articulis & principiis religionis disputet.

IV. Buxtorfius porro in praefat. ad Dissert. Philologico-

gico-

gico-Theologicas An. 1662. Basil. 4. editas , sic de Abrabaniele
 judicat : *Scriptor ex recentioribus maxime argutus & acutus,*
nequaquam ita scrupulose, ut plerique alii, Magistrorum suorum
placitis addictis; sed saepius ab illis resedens, & libere animi
sui sensa proferens: tum etiam, quoad fieri potest, litteralem
scripturae sensum sequens & premens. Unde ubi in obscuris qui-
busdam & intricatis multis locis, ceteri Interpretes commodam
verborum interpretationem non invenire queunt, vel ad allego-
rias deflectunt, ille sagacitate sua subinde aliquid investigat &
reperit, quo litteram tueatur, & illa extricet & clariora
reddat.

VI. *David Christiani* in disp. I. de Messia, habita
 Giessae A. C. M DCLVII. §. 83. Abrabanielem *Judaeorum mo-*
dernorum Achillem vocat. VII. *Constantinus l' Empereur* in not.
 ad Cod. Middoth cap. V. sect. II. pag. 174. edit. 4. & in opere *Su-*
renhusiano Part. V. pag. 377. a. ubi cum de conclavi Salis &
 lege Levit. II. 13. agit, Nostrum, causam hujus mandati dupli-
 cem reddentem, laudat, eo quod observatu ea utilis sit ad
 testimonia quaedam V. T. eo melius intelligenda, cujus etiam
 sententiam ideò se libenter adscribere ait, quo auctorem istum
 magis omnibus commendatum reddat *quia, inquit, ex ipso plu-*
ra, quam ex omnibus Hebraeorum Doctoribus addisci possunt;
quippe si quid in sacris litteris obscurius sit, feliciter (nisi quum
contra veritatem Christianam cum suis obnitiur) enarrante.
 Idem in praefat. & refutat. ad *Isaac Abrabanielis & R. Mose*
Alschechi Comment. in Jes. ptophetiam XXX. sive Cap. LIII.
 talem de Nostro fert sententiam. *Omnium praecipui, quique*
haectenus Christianorum manibus ita triti non fuere, ut eorum
argumentis responsum sit, videntur Isaac Abrabaniel, & Mo-
ses Alschech, quorum ille tam avidè passim à Judaeis conqui-
ritur, ut vix tandem ejus compos fieri potuerim: Nam eum
Christianis superiorem putant, qui solide eorum argumenta sol-

vere, & loca ab iis è Sacris litteris producta ita exarrare, ut eadem in Christianos retorqueantur, possit.

VIII. Coccejus Tom. VI. Oper. Epistola 113. p. 39. edit. Francof. Inter ceteros, inquit, vero Rabbīnorum commentarios statuo non postremum esse, qui Studiosis sacrae Φιλολογίας commendarī possit, Commentarium Isaaci Abarbanelis Hispani, sive Abrabaniēlis malis, in Prophetas cum primis, qui ante annos viginti septem Amstelodami editus est. Primo, quia facilis est ejus phrasīs. Deinde, quia copiosus est, & Veterum recentiorumque opiniones liberaliter recitat. Inter quae sunt quaedam priscae Catecheseos, quanquam ipse ad ea non attendit. Tum quia libere ab aliis dissentit, & fortiter aliquando suos populares confutat. Praeterea, quia operam in eo sumit, ut Christianos expositores refellat. Scire autem oportet, quid in nostrorum interpretationibus desiderent Judaei, ubi haereant, in quo caespitent; ut scandala de via removeri possint, & veritas eo clarius, & cum majori Φανερωσει demonstretur. Accedit, quod saepe ea dicit, quae nobis possunt esse usui. Pertinent huc sequentia in dicta Epistola, quae quoniam nimis prolixa, exscribere animus non est.

IX. B. Dominus Frischmuth in disp. de decimis, habita Jenae MDCLVII. Cap. IV. §. 1. haec paucas, sed magni ponderis voces, profert: Quae verba cum more suo optimè explicet R. Abarbenel, eum hic audiamus. Idem in Disp. de non speranda arcae foederis restitutione Cap. I. §. 2. scribit, Nostrum in libello משמיע ישועה ex instituto contra Christianos disputare. Ibidem Cap. II. §. 10. de torsionum singularis artifex, ac paulo post: satis perspicax appellatur Noster. Nec non in alia disputatione, de Messia in sepulchro non relinquendo, habita Jenae MDCLXIX. in praefat. de modo dicto libro Abrabaniēlis recte ita statuit. R. Abarbanel peculiari libello משמיע ישועה futurae liberationis Judaicae certitudinem evincere, & ex V. T. libris ordine demonstrare conatus est. Iterum in disp. de Prosopographia Messiae ex Jes. IX. 6. habita ibid. MDCLXIV. Cap. I. §. 12. fatur: Au-
diatur

diatur R. Abarbenel, qui ceteris Judaeis palmam ingenii dotibus creditur praeripere.

X. Immo Hugo Grotius in annot. ad lib. I. de jure belli & pacis Cap. II. §. 6. Nostrum Illustrissimum nuncupat, quod quidem singulari ex indulgentia profectum fuisse B. Wagenseilius in proleg. ad tela ignea satanae. pag. 74. judicat.

XI. Vir Cl. Antonius Hulsius in praefat. ad Theolog. Jud. non procul à fine, ubi de ratione contra Judaeos disputandi agit, & quosdam inter eos non planè artis differentis imperitos, sed in Philosophicis accuratos satis esse, testatur, eminare inter eos scribit Abarbenelem, magni nominis apud suos Theologum, qui si eadem ἀριβεία, qua Aristotelem, Platonem Anaxagoram, Empedoclem, nec non socios suos in מַפְעֵלוֹת אֱלֹהִים adoritur, in campo Theologico contra Christianos comparere ausus fuisset fixam controversiarum sedem haberemus.

XII. Neque omittendum Francisci ab Husen, V. D. M. in Wetsinge judicium, in praefat. Versionis Comment. Abraban. in Hoseam occurrens, atque sic se habens. In Judaeorum Doctores, qui nominis claritudine praecelluerunt, eximium sibi locum vendicavit Isaacus Abrabanel (sic, vel potius Abrabaniel dicendus, quod ipse se in prooemio ad XII. Proph. alibique vocet Abrabaniel, uti & Patrem suum in prooemio in Iesaiam, innuens pro composito id habendum ex Ab, Rabban, El, licet parum vel nihil in his situm arbitrer, cum Manasse sibi ex Abrabanielis prosapia uxorem fuisse alicubi gloriatus, passim & scribat Abarbinel) paulo tamen junior (floruisse sub initium seculi XV. indicium ipse profert ad finem Fereimiae) iis quorum commentaria sacro textui jungere Judaei solent. Vir fuit egregiae inter suos eruditionis, ac tractando Sacro textui laudabilem adhibuit diligentiam, in difficilioribus Magistrorum, qui in pretio habentur Synagogae, sententias confert, dijudicat, ac si minus existimet probandas, suam, novam saepe, ac indicem

ACU-

acuminis (quandoque nimium huic fidens) subjungit. Id laudis ei proprium, quod (in quibusdam licet prolixior visus) connexionis ubique rationem reddere conatur, nec vocem praetermittit, cujus aliqua in contextu efficacia. Varia insuper commentariis suis inspergit ex priscorum monumentis, ex Philosophematis Judaeorum. Quo circa vel S. Scripturae explicationi, vel si quis studio ducatur cognoscendae Theologiae Judaicae, vel avidus fuerit sciendi, quibus rationibus detineri se patiantur Judaei sub suae infidelitatis tenebris, maxime in respuenda salute per Jesum Christum, non inutilis insumetur opera, si Hujus Nostri Scripta legantur.

XIII. Vir summe Reverendus Dn. Johannes Henricus Majus, Clarissimi Domini Praesidis mei Parens in Theol. Judaica Loco II. §. V. pag. 32. acutissimum Nostrum nominat, & in Oecon. V. T. pag. 138. inter cordatiores sanioresque Magistros gentis Judaicae refert.

XIV. Celeberrimus Johannes Meyerus de festis Hebraeorum Cap. V. §. 8. pag. 114. Rabbinum doctissimum vocitat, ac in praefat. ad Seder Olam seu Chron. Hebr. majus & minus, longè majus encomium ei conscripsit. Inter ceteros vero, inquit, Hebraeorum Interpretes ingenii subtilitate & eruditione excellit Don Isaac Abarbanel, qui verè dici potest desuisse rugari, quod de Maimonide olim dixit Scaliger. Nemo δυσνόητα & ἀπορα, quae insolubilia dici solent, feliciter solvit Abarbenele, quo nomine ille optimè meretur de sacris litteris. Si Philosophus Theologo-Politicus & Simonius ea legisset, non tot movissent dubia; nemo tam docte & expedite Hebraeorum ritus tractavit. Nemo, quod absque invidia dictum velim, nexum historiarum & prophetiarum tam accuratè ostendit; nemo unquam tot doctas dissertationes nobiscum communicavit, de Tabernaculo, de Templo, de aetate Samuelis, Saulis & Salomonis, de unctioe Regum & Sacerdotum, de
pro

prophetia Danielis & aliorum, quae nulli unquam, vel Judaeorum, vel Christianorum Interpretum in mentem venerunt, vere evangelis, expeditissimus rerum inventor, ut non sine ratione aliquoties gloriari potuerit, hoc ante se neminem vidisse, haec dubia neminem solvisse, quemadmodum Philosophus veritate aliqua inventa dicere consuevit: desine mirari. Accedit, quod Abarbenel saepe omnes reliquorum Rabbiorum sententias proponere & examinare soleat, ut in hoc uno videas omnia. Si Munstero, Fazio, Vatablo, Drusio & aliis Criticis hunc inspiciere licuisset, quantam nobis lucem dedissent in suis commentariis? Et post pauca pergit h. m. In eo quoque laudandus est Abarbenel, quod non auctoritate pugnet, sed re & ratione veritatem exquirat, libereque suam ubique sententiam eloquatur: quemadmodum in prologo commentarii librorum Historicorum, ubi agit de methodo interpretandi, se interdum veterum & recentiorum Interpretum opinionem adoptare, saepe vero ubi illi sinistram petunt, in partem dextram discedere, & ubi ad dextram declinant in sinistram partem abire, profiteretur. Nimiam brevitatem R. Salomonis & R. Aben Esrae improbat, hujusque & R. Mosis Nachmanidis aenigmata, quibus Lectorem tentant, respuit. R. Levi Gersonidem inanem laborem suscepisse putat, quod in notis ad libros Historicos ubique usus ex textu elicuerit, quum ipsa Prophetarum verba usus practicos satis clare repraesentent; suam autem methodum, qua dubia per quaestiones & responsiones, capitibus & sectionibus praemissas exponit, ideò commendat, quod magnam attentionem excitent, & rerum inquisitioni occasionem praebeant.

Si ergo eorum industria non est contemnenda, qui in Patrum illustratione operam suam posuerunt, & ex iis Catenas fecerunt, ego certè non video, ubi melius meae horae subcisivae occupari potuerint, quam in vertendis & illustrandis tot Quæstionibus, & Dissertationibus Abarbenelis, quae à nemine hæctenus sunt

E

obser-

observatae & productae. Si plures occupati fuissent in iis eruendis, & pro locis communibus & prolixis Commentationibus Magistrorum auxiliis breviter sensum & nexum exhibuissent, fortassis locupletiores essent res Christianae.

XV. *Qualis sit Simeonis de Muis, sacrarum olim apud Parisienses litterarum Professoris, de Nostro sententia, apud eundem Dn. Meyerum post finem dictae praefat. invenies, quam indicasse sufficiet.*

XVI. *Augustus Pfeifferus in prologo tractatus Philologico-Anti Rabbinici, seu in versione Abrabanielis in Obadiam, sequentem in modum differit. Eruditorum indicio in vulgus jam innotuit Abarbenelis seu Abravanelis scripta exhibere Panstratiam Mataeologiae Judaicae; quae res me saepe permovit, ut ad eundem accederem cominus exploraturus, Noster quid tanto ferret promissor hiatu. Inter alia omnibus Oceani aquis non eluenda ἐγκλήματα cum omni nisu eum defendere viderem & φοβικόν hoc ἄχρσμα, Christianos esse Idumaeos, hinc praesens mihi nata est scriptio. Praeter Pfeifferi iudicium de Nostro, quod Dn. Meyerus l. c. inseruit, exstat & aliud in Hermeneut. S. Canone CXCI. pag. 517. edit. in octav. quam, quoniam nunc inspicere non licet, omittere illud cogor.*

XVII. *Johannes Saubertus in Palaestra Theologico-Philologica pag. 20. ita ait: Ruit Princeps & Magnus in Israel Abarbanel.*

XVIII. *Sebastianus Schmidius Comment. in Jerem. XLVIII. 37. scribit: Vidit hoc R. Abarbanel, diligentissimus sanè & accuratissimus cohaerentiae scripturarum scrutator. Encomium quoque Noster*

XIX. *P. Richardo Simonio in Hist. Crit. V. T. Lib. III. cap. VI. pag. 380. edit. Gall. & p. 21. seq. vers. Lat. Natalis Alberte de Versé extorsit tale: Prae ceteris Isaac Abravanel optimus & utilissimus Interpres mihi semper visus. Purè & nitidè scripsit,*

scripsit, etsi nimis fuse, & Rhetoris in morem magis quam interpretis. Aliorum Rabbiorum explanationes refert, interdum expendit; nec non raro liberè castigat. Taedium tamen & nauseam parit quaestionum multitudine, quibus Lectorem obruit, uti videre est in Commentariis ejus in *Mosen*, *Josue*, *Judices*, *Samuelem* & *Reges*. Quandoque subtilior quam par sit. In omnes Prophetas commentatus est, quorum commentariorum nova recens excusa editio in *Hollandia*. Seorsim in *Danielem*, quem inter Prophetas minimè recensent, etsi in eo Prophetias agnoscant, scripsit. Placet ea quae in catalogo auctorum *Judaeorum* apud eundem *Simonium* pag. 536. seq. edit. Gall. sed Lac. pag. 145. deprehenduntur de scriptis Nostri, adjicere. *Abravanel*. Nomen ejus est *Isaac Abravanel*, *Hispania* cum ceteris *Judaeis* pulsus fuit anno *MCCCCXCII*. Prolixos in plerasque scripturas *Commentarios* scripsit; exilibus typis *Commentarius* ejus in *Pentateuchum* *Venetiis* in fol. excusus. *Commentarii* in libros *historicos*, quos vocant *Judaei Prophetas*, & in illos quos posteriores dicunt *Prophetas*, in folio editi fuere typis elegantioribus. Est tamen alia editio in folio pulchrioribus adhuc typis sed exilissimis. *Prima* editione usus sum. Ejus liber *Ros Amana*, principale fidei subtilissimus. *Venetiis* in quart. *MDXLV*. excusus est. *Guilielmus Vorstius* latine eum reddidit, & notas adjecit. Ejusdem Liber *Nahalat Avoth*, possessio Patrum, *Commentarius* est in tractatum *Pirke Avoth*. Uterque *Venetiis* prodiit in quarto *MDXLV*. Praefatio doctissima praefixa est libro *Nahalat Avoth*, *Judaicae* traditionis successionem, rem admodum difficilem & intricatam inter *Judaeos* explicans. Ejusdem Rabbini aliud opus citavi *Miphalot Elohim*, *Dei* opera, ubi eruditè de creatione mundi disserit, ac simul disquirit & examinat, unde *Moses* suae *Genesis* *Historiam* acceperit. *Venetiis* quoque in quarto impressus. *XX*, Recenset etiam quae *Noster* scripserit, & quae *Buxtorfius* ex eo verterit, quae tamen lucem publicam nondum adspexerint

Theophilus Spizelius in specimine novae *Bibliothecae*

universalis, sacris Bibliothecarum illustrium arcanis reiectis, inserto, litt. AB. ad vocem R. *Isaacus Abarbanel*. En! ejus verba. *Isaacus Abarbenel*, *Gentis Ebraeae Doctor celebratissimus* scripsit in *Pentateuchum*, *Prophetas majores & minores commentarios*, *Venetis & Amstelod. excus.* qui ob perspicuitatem & methodicum tractandi modum valde commendantur. Ejus enim methodus (observante *Joh. Henric. Hottingero*, *Primit. Heidelb. Disp. I.*) *Christiannorum τριτογενῶν* maxime respondet, per quaestiones enim fere totam *Commentariorum in universa Biblia seriem* exhibet. - - *Buxtorfius Basileae* mihi ostendit alia *Abarbenelis*, à se latine reddita, & nondum edita opuscula; scil. praefat. in *Deuteronomium*; praefat. in *librum Josuae*; in *librum Judicum*; in *libros Samuelis*; Praefat. in *libros Regum*; praef. in *Proph. Jesaiam*; *Dissert. de libro legis*, quem *Chiskias Sacerdos* invenit, *II. Reg. XXII. 8.* Item de *nube operiente tentorium conventus*, & *Gloria Domini implente Tabernaculum*, ad *Exod. XL. 34.* de *nomine Mosis* ad *Exod. XI. 10.* *dissert. de sacrificiis*, de *morte & sepultura Mosis*, ad *Deuterenom. XXXIV.* *Utrum Elias mortuus sit nec ne? & in quo loco sit?* ad *II. Reg. II.* De *Enocho* ad *Genes. V. 22. 23. 24.* De *μεισηψυχῶσι Pythagorica*; de *peccato Davidis numerantis populum & infausto successu*, ad *II. Sam. XXIV.* De *statione solis miraculose facta per Josuam*, ad *Jos. X.* de *unctione Regum & Sacerdotum*; de *statu & jure regio.* De *peccato Mosis & Aaronis*, propter quod non ingressi sunt in *terram Canaan.* De *voto Jephthae*, ad *Jud. XI.* pro *sententia negativa*, & ex *R. Abarone ben Chajim* pro *affirmativa.* De *idololatriae variis speciebus*; de *Samuele à Pythonissa ex mortuis revocato*; de *longaevitate primorum patrum*; denique *totum Abarbenelis Comment. in Daniele* Latine vertit *D. Buxtorf.* & *MS.* mihi benigne suppeditavit. Quasdam tamen harum dissertationum in *dissert. Buxtorfii Philologicò Theologicis* existare, inde conjicio (nam in praesentia librum inspicere nequeo) quod *Dominus Buddeus* *Introduct*: ad *historiam Philosophicam Hebraeorum* p. 12. mentionem faciat *diss. Abrahanielis de longaevitate priorum parentum*, à *Buxtorfio* Latine reddita.

redditae. XXI. Illustris Dn: *Wagenseilius* in telis igneis sata-
nae pag. 74. Nostrum, *recentiorum Judaeorum facile Prin-*
cipem appellat, quin etiam eundem loc. cit. pag. 455. hoc elogio
insignit: *Abarbenel praecipuae autoritatis Magister, & qui*
non meris Verbis, sed argumentis insuper disputat. Denique
XXII. perpetuae memoriae Vir Cl. Dn. *Johannes Wülferus*,
priori quem omnium loco nominare debuiffem, antecedentium de
Abrabaniele sententias non tantum approbare, sed & majus iis-
dem pondus conciliare mihi videtur, quando Nostro ad Sche-
kalim pag. 31. itemque in animadversionibus ad Theriacam Ju-
daicam p. 79. *celeberrimi* elogium non tantum tribuit, sed &
hanc suam de Judaeo isto opinionem in libri posterioris p. 721.
hisce verbis confirmat: *licebit mihi bona lectoris venia, doctis-*
simi, ac inter suos facile Principis Viri Isaaci Abarbinelis verba
hic attexere. Satis itaque ex tam egregiis encomiis liberali à Sum-
mis viris manu erogatis adparet, quid de Nostro statuendum sit.

§. XIV.

Atque haec quidem de Origine, fatis, scriptis, laudibusque
Abrabanielis dicta sufficient, quum plura adjicere, librorum huc
facientium defectus, quem invitus experire cogor, prohibeat.
Videmus interim magnis ingenii virtutum praeconia, dignos-
que earundem aestimatores nunquam defuisse. Et cum dicente
Marco Tullio orat. pro Archia Poeta Cap. XI. *trahamur omnes*
landis studio, & optimus quisque maxime gloria ducatur; insidetaque
in optimo quoque virtus, quae noctes & dies animum gloriae stimu-
lis concitet, atque admoneat, non cum vitae tempore esse dimittendam
commemorationem hominis, sed cum omni posteritate adaequandam:
hinc ab optimis laudem promereri omni animi contentione annu-
tamur, cum teste *Marco Antonino Philosopho* πρὸς ἑαυτὸν III. §. 4. P.
72. edit. Gatak. ea demum vera laus sit quae τῶν ομολογούμενων τῆ
φύσει βιωτῶν μόνον, ab iis, qui soli naturae convenienter
vivunt, proficiatur.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQ.
DN. CHRIST. FRIED. Bischoff/
RESPONDENTI SVO

S. P. D.

P R A E S E S

IOANNES HENRICVS MAIVS,

Filius.

Linguarum, quas Oriens colit, interque eas Hebraicae maxime ac vicinarum, summum omni tempore honorem habitum fuisse, monumenta veterum abunde testantur. Ipsi Venerandi Ecclesiae Christianae Patres, quantum earum cognitio ad diuini Codicis genuinum consequendum sensum valeat, suo exemplo ostenderunt. Tametsi enim verum maneat *Cinnaei* (a) effatum: *Inter Graecos omnes Latinosque, qui veterem Ecclesiam rexere, vnus Origines cum Hieronymo Hebraice sciuit, & ferme nimium dixi. Ceteri nec elementa quidem didicerant: tantum tamen sancti hi diuum viri, amore in diuinas literas concitati, effecerunt, ut parietinis istis temporibus, cadentique linguarum flori suppetias non contemnendas tulerint. Nam quod ad primum, Originem scilicet, attinet, vt alia documenta industriae eius in litteratura Hebraea & Rabbinica praeteream, ne quidem in Kabbalisticis hospes fuit, cuius artis vestigium illius in scriptis inuenisse se Buxtorfius (b) existimat. Syriam profecto, Aegyptum atque Iudaeam peragrauit, harumque regionum linguas addidit, docente Sauberto, (c) ut litterarum & vocum stridores expressius ederet, & vniuersas Ebraice differeret, dentes anteriores lima sibi deminui curauit. Iam Hieronymus quam solícite sacra haec tractauerit, ipse (d) eloquitur his verbis: Ad quam (prauam mentem) edomandam, cuidam fratri, qui ex Hebraeis crediderat, me in disciplinam dedi, vt post Quintiliani acumina, Ciceronis fluuios, grauitatemque Frontonis, & lenitatem Flinii, alphabetum discerem & stridentia aabelantiaque verba meditarer, quid ibi laboris insumpserim,*

(a) De Rep. Hebr. I. 18.

(b) De punctorum origine & antiquit. Part. I. 19. p. 167.

(c) Palaestra Theologico-Philolog. p. 72.

(d) Hieronymus in Epist. ad Rusticum Monachum.

serim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperauerim, quotiesque cessauerim & contentione discendi rursus incoeperim, testis est conscientia tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum vitam duxerunt. Quod si igitur venerabiles Ecclesiae Patres operam vitaeque maximam partem sacratioribus eiusmodi negotiis impendere non piguit: quis non lubens insignes tales Doctores sequi velit. Id juxta cum aliis Schuppins, (e) qui a Viro Cl. Jacobo Rhenferdio (f) celebris patrum nostrorum memoria in Germania fannio nuncupatur) adgnouit, ex vero pronuncians: *Linguae, linguae dico, & omnia alia, quae memoriam requirunt, in scholis inferioribus tractanda essent, cetera, quae iudicium requirunt, reseruanda essent Academiis. Ast & in linguis multi currunt, sed currunt extra viam.* Unde felicitas seculi nostri liquida saepe animum meum laetitia demulcet, dum tacitus mecum confidero, quae quantaque Virorum ingenia in reducendis postliminio integritaque suae restituendis vel linguis, vel antiquitatibus, vel historiis, vel sacris ritibus, vel aliis huc spectantibus industriam collocant. Horum vestigia cum Tu, *Clarissime Doctissimeque Domine BISCHOFF*, premere summo opere annitaris, rem facis laudis plenam, encomiis dignam, gloriaeque perpetuae Tibi futuram. Fuerunt Tibi, & adhuc sunt Illustri hacce in Altdorfina, magni Musarum ductores, quorum excellentia nomina venerabundus exosculor, & summa semper pietate prosequar, quibus, si, quod facis, fingendum vltterius formandumque Te totum tradideris, vberimam gaudii occasionem habebunt. Interea non possum, quin de insigni isthoc specimine Summo Tuo Parenti, qui Filium ad magna aspirantem, amore litterarum flagrantem, ingentium, paternaeque famae aemulum nactus est, reverenter gratuler. Sed & Tibi, *Humanissime & clare docte Domine Bischoffi*, nouum hoc industriae Tuae ingenique monumentum, nouos quos in Honoris templo consequeris honores, felices esse iubeo, tantamque Tibi nominis famam, quantam inter suos *Abrabaniel* adeptus est, hoc est summam, & cum rerum aeternitate duraturam, ominor.

Anti-

(e) In orat. de arte discendi p. m. 104.

(f) In Periculi Palmyreni dedicatione, ad Vrum Illustrem Gisbertum Cuperum.

Antiquitates , Philologemata ut sciat
 Episcopus , quam maxime requiritur.
 Tu tale dum nobis , Episcope , exhibes
 Specimen , & olim Te augurantur singuli
 Episcopum. Proinde gratulor Tibi,
 Amice perdilecte , & ex animo precor :
 Clementer hoc ut summus arbiter , Deus,
 Ad nominis sui decus mox impleat.

Bono omine deproperabat

Oppositurus

FRIDERICUS STÖR.

HERR PRAESES seine Kunst und sein gelehrtes
 Wesen /
 Zeigt heute seinen Schein / und seine Treff-
 lichkeit :

Auch ist Gelehrter Freund sein Wissen außerlesen /
 Es gibt die beste Prob in dem Gelehrten Streit.
 Nun soll ich Euer Thun / und zwar hoch genug erheben /
 Jedoch ein guter Wein braucht keines Lobens nicht /
 Und Euer Ruhm wird doch die schönsten Strahlen geben /
 Ob eines Stimplers Faust und Lob Euch schon gebracht.
 Laßt Euer Gunst vielmehr sich gegen mich verneuen /
 Das ist was mich verbindet / und auch mich kan erfreuen.

Mit diesen wenigen Zeilen sollte gegen den
 Herrn Praesidem und Herrn Respondenten
 seine gehorsame Ergebenheit bezeügen

P. Benivent , Delphinus
 LL. Cult.

Coll. diss. A. 72, misc. 53